

tertii : nam legata illa nullo titulo conservare potest. Similiter non licet ea die qua jejunandum est sumere mane plenam refectionem, quia probabile est horam illius non pertinere ad jejunii substantialiam, et meridie iterum prandere, quia probabile est jejunium esse substantialiter laesum. Ut enim dicit Lugo (de Euch. disp. 15. n. 52) : " Sicut praeceptum obligat certo ad opus injunctum, sic obligat ad non mutandam sententiam, cuius mutandae libera facultas impediret praecepti observantiam. „ Propter eamdem rationem, non licet eidem homini in eadem refectione sumere duos cibos quorum alteruter sit certe vetitus.

b) Si alterutra e duabus legibus certe violatur, quamquam dubium manet utra lex reapse infringatur. Ex. gr. sacerdos aliquis in pervigilio Pentecostes, propter duo horologia, dubius haeret utrum media nox jam advenerit necne ; unius autem horologii probabilitate utitur ad cenandum ; alterius vero probabilitate ad celebrandum, quasi adhuc a media nocte jejonus foret. Ut enim ait Lugo (l. c. n. 53) : " Stante illo duplice pracepto, ego debo ex complexione utriusque praecepti abstinentiam a cibo post comedionem unicam diei praecedentis, seu post refectionem serotinam usque ad Missam vel communionem diei sequentis, et Superior habet jus ex vi utriusque praecepti ad hoc totum ; ergo habet jus ad prohibendam variationem horologii ex qua impediatur observantia et redditio totius illius debiti ad quod certum habebat jus. „ Secus tamen dicendum foret (Lugo, ib. n. 47) si quis, auditio prioris horologii pulsu, diem jejunii elapsum esse putaret cenamque sumeret, postea vero agnosceret hoc prius horologium errasse needum adfuisse medium noctem quando cenam sumpserit. Tunc enim nihil probiberet quomodo, errore detecto, Sacrum celebraret.

## TRACTATUS III.

## DE LEGIBUS.

## CAPUT I.

## DE NOTIONE ET ESSENTIA LEGIS.

**82. DEFINITIO.** Lex moralis (nam de physicis non est quod agamus) *late sumpta* est *recta agendorum vel omittendorum ratio*. Sic complectitur praeceptum et aliquatenus ipsum consilium. *Stricte sumpta* cum S. Th. (1. 2. q. 90. a. 4) definiri solet : *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata*. Cujus definitionis verba breviter explicitur oportet.

*Ordinatio rationis.* Ratio intellegitur *practica* seu intellectus et voluntas. Actus ergo causativus legis est ab intellectu in quantum ordinat, et a voluntate in quantum obligationem inducit. Ita S. Th. (1. 2. q. 97. a. 3) : " Omnis lex proficiscitur a ratione et voluntate legislatoris. "

*Ad bonum commune.* His verbis indicatur legis *causa finalis* ; simul subindicantur et *subjectum* (communitas qua talis) et *objectum* (actiones seu omissiones subjecti ad hunc finem ordinabiles).

Adverte : a) aequivalenter ferri in communitatem legem quae aliquam tantum civium classem obliget, ex. gr. milites, mercatores : revera enim non fertur tantum in eas personas quae hic et nunc in illa classe versantur, sed in omnia communitatis membra quae aliquando huic classi adscribantur ; -- b) effectum legis immediatum saepe afferre incommodum, ut patet in lege tributorum ; incommodum tamen illud mediate ad bonum majus referri posse, ex. gr. perfectiorem justitiae administrationem quae per majora tributa obtineatur.

*Ab eo qui curam habet communitatis.* Nam " ordinare aliquid in bonum commune est vel totius multitudinis vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis. „ (1. 2. q. 90. a. 3) Indicatur auctor legis de quo n. 86 seqq.

*Promulgata.* Quod ita explicat S. Th. (l. c. a. 4) : " Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. "

**83.** In omni lege divina reperiuntur, atque in lege humana, ut valeat, reperiri debent sequentes **condiciones** :

1º Ut sit *honesta*. Scil. nihil in honesti praecipere potest, quamvis interdum, ad majus malum vitandum, minus malum permittere possit, ex. gr. publicum falsi cultus exercitium in locis mixtae religionis. Ratio est quod omnis obligandi vis, saltem mediate, descendit a Deo qui hominibus dare nequit potestatem obligandi ad in honesta.

2º Ut sit *justa*, seu ut secundum normam justitiae distributivae fera tur. Haec condicio deesset in lege qua aequalia tributa divitibus et pauperibus imponerentur.

3º Ut sit non tantum physice, sed et *moraliter observatu possibilis*. Nequit ergo esse nimis difficilis pro majori parte communitatis, inspectis moribus et consuetudinibus eorum quos regere debet. Ideo lex optima in una regione fieret nulla si pro alia ferretur, nec possunt imponi multitudini imperfectae quae perfectionem sectantibus utiliter imponuntur, ex. gr. bonorum temporalium communitas.

4º Ut sit *necessaria* vel saltem *utilis*. Secus enim legislator absque causa rationabili libertatem subditorum restingeret; ad hoc autem nullam habet legitimam potestatem. Unde per se non peccant cives qui non servant legem manifeste inutilem.

5º Ut, saltem mediate, *conducat ad bonum commune*, seu ad comoda majoris partis communitatis. Cfr. n. 82. Hinc tamen inferri nequit ea quae lege sanciuntur jam ante ejus promulgationem obligare ob officium quod cuique incumbit promovendi boni communis. Nam ubi deest legis obligatio, non tenetur quisque bono communi consulere etiam in longinquis consecutiis actionum suarum: quod perpetuis scrupulis ortum daret. Deinde actiones singulorum saepe non proderunt ad bonum commune, nisi per conspirationem cum actionibus reliquorum civium: quae tantum per legem obtinebitur.

Praeter has quinque condiciones, antiqui DD. requirebant ut lex esset perpetua, seu ut ex seipsa et intentione legislatoris nullo certo tempore circumscriberetur. Rationem afferunt: usu Jurium et DD. reservari nomen legis ordinationibus stabilibus, quales profecto requirit recta reipublicae gubernatio. Ordinationes quae etiam omnes subditos ligent, sed ad certum tantum tempus ferantur, iidem DD. statuta vocant. Ceterum fatentur minime repugnare ut princeps supremus vim et privilegia legis

ordinationibus temporaneis tribuat. (Suarez, de Leg. l. 1. c. 10. n. 16) Hodie autem, usu in Jure civili recepto, passim leges vocantur quaelibet ordinationes, modo ab iis qui supremam potestatem legiferam detinent sollemniter prodeant, sive ad tempus, sive in perpetuum ferantur.

In Jure autem ecclesiastico, ut discernatur utrum aliqua ordinatio sit vera lex an non, saepe potius ad ejus condiciones quam ad nomen attendendum est. Sic legis vim habent ea quae dici solent " Statuta synodalia ", et decreta quaedam Congregationum Romanarum e speciali S. Pontificis potestate edita. Utraque de se in perpetuum obligant.

**84.** Praesertim notanda sunt **discrimina** quae inter legem et **praeceptum** vigent. Differunt nempe :

1º Ratione *jubentis et subjecti*. Nam praeceptum datur personis privatis et etiam a privatis dari potest; lex vero fertur semper a persona publica et in communitatem, sensu explicato n. 82.

2º Ratione *finis*. Praeceptum per se ad privatum bonum, lex ad publicum tendit.

3º Ratione *loci*. Praeceptum afficit directe personas, seu, ut aiunt, *ossibus haeret*, quo cumque se transferat subditus; lex vero directe afficit territorium ideoque existentes extra territorium non obligat.

4º Ratione *durationis*. Praeceptum per se cessat cum praecipiens moritur vel officio decedit; lex vero, etiam mortuo legislatore, vim retinet.

#### 85. DIVISIO. Lex dividitur :

1º Ratione legislatoris in *divinam* et *humanam*. Divina complectitur naturalem, quae in ipsa rationali creatura promulgatur, et positivam, quae libera Dei voluntate superaddita est. Humana autem sub se complectitur ecclesiasticam et civilem.

2º Ratione objecti in *affirmativam* et *negativam*, prout aliquem actum ponit vel omitti jubet.

3º Ratione effectus in *obligantem*, *permittentem*, *irritantem*. Obligans ea est quae immediate adstringit ad aliquid faciendum vel omittendum, vel saltem ad poenam, in casu violationis, subeundam; permittens ea est quae aliquam actionem, ex. gr. falsi cultus exercitium, civiliter licitam declarat et vetat ne eam ponentes ab aliis impediatur; irritans tandem vocatur ea quae actus quosdam effectu juridico privat.

Plura de his aliisque legis divisionibus in decursu hujusce tractatus declarabuntur.